



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

LX. Detestatio Simoniaë.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38994

omnem nobilitatem Deo acceptam referebat, ut
& quoscunq; sciret sibi à populo attribui honores:
nam in hunc modum subiecit:

*Ich bin ein Mann wie Jederman/
Nur das mir Gott der Ehren gan.
Sum reliquis par ipse viris; mihi favit honores,
Qui sola terrarum torquet ab axe Deus.*

LX. DETESTATIO SIMONIÆ.

IN EXORDIO dices eos Simoniaca labe esse infe-
ctos, qui exemplo Simonis Magi Rem spiritua-
lem, ut gratiam, Sacramentum Ordinis vel Ecce-
siasticum beneficium, pecunia emunt, vel ven-
dunt.

PROPOSITIO: Te Auditoribus hujus vitii fœdi-
tatem & incommoda in memoriam revocaturum.

CONFIRM. I. LOCUS ab inhonesto, quòd turpe
sit Christianum Christi Legem non observare. At
Christus Apostolis demandavit, ut prædicandi
miraculaq; patrandi munus nullo accepto pretio
obirent. *Grati*, inquit, *accepistis, gratis date.* Vnde
Ioa. 2. v. 14. & omnes vendentes & emētes Templo eiecit, &c.

Ad hæc SS. Patres in Simonis Magi, hujus vitii
auctoris & parentis, factò, quod describit S. Lucas,
Act 8. v. 9. quatuor notarunt flagitia. PRIMUM, tur-
pis lucri, seu avaritiæ, quæ teste Apostolo est *idolo-
rum servitus.* Ideo enim volebat emere Spiritum san-
ctum, inquit B. Augustinus quia vendere volebat Spi-
ritum sanctum, & multas pecunias, ut loquitur Epi-
phanus, *cumulare ac lucrari.* SECUNDUM ambitio-
nis: quoniam, inquit S. Aug. *in mirabilibus ingredi
volebat super se; propterea plus illum delectavit potē-
tia Apostolorum, quàm justitia Christianorum, ubi vi-
dit per manus impositionem Apostolorum, & per ora-
tiones eorum, Deum dare Spiritum sanctum.* TERTI-
UM, Sacrilegii: quia, ut D. Petrus ei objecit, donū
Dei existimavit pecunia possideri posse, hoc est, re
pro fana sacratissimam, imò divinam gratiam, rem
omni-

Mat. 10. 8.

Matth. 21.

Ioa. 2. v. 14.

Eph. 3. v. 5.

*Tract. 20. in
cap. 2.*

Ioan.

Hæres. 21.

In Ps. 130.

omnino cum pecuniæ mercede pugnantē. QUARTUM, Hæreseos: quia disertè asserit B. Petrus eum existimasse donum Dei pecunia posse possideri, quæ opinatio si pertinax sit, hæretica est. B. Gregor. indicat hanc hæresin omnium fuisse primam in Ecclesia. *Hæc est, inquit, hæresis, quæ ipsa nascentis Ecclesie rudimēta tentavit, & ante alias hæresis prima apparuit.* Paschalis Papa apud Gratianum asserit, *omnia crimina ad comparationem Simoniaca labis quasi pro nihilo reputari.* Tāta hujus vitii est gravitas & turpitudine.

C. pat. 19. 7.

II. Locus à deterrimis fructibus Simoniaca labis. Nā PRIMÒ, extrema fœditate animam hominis con-spurcat: quàm describit B. Ambros. dum agit de Episcopo Simoniacè ordinato, hisce verbis: *Oculis quidem carnalibus videtur quasi Episcopus magnus, Sacerdos. Li. de dign. at divinis obtutib. videtur leprosus magnus. Per pecuniam acquisivit indebitum Ordinem, & Deum perdidit in interiore homine. Caro suscepit dignitatem & anima perdidit honestatem. Caro ancilla domina facta est anima, & anima quæ erat domina facta est famula carni. Caro dominatur populis, & anima seruit demoni, carni Sacerdotium comparavit & anima detrimētum paravit. Quod dedit ut ordinaretur Episcopus aurum fuit, & quod perdidit anima fuit. Cum alium ordinaret quod accepit, pecunia fuit, & quod dedit lepra fuit. Hæc sunt mercimonia iniquorum in perniciem eorum, &c.*

Li. de dign. Sacerd. 5.

SECUNDÒ, Hæc labes sua cōtagione plures solet inficere; ad minimū duos, ementem & vendentē.

TERTIÒ, Univerſum Ordinem Ecclesiasticum in summum adducit contemptum, & à fundamentis evertit. Hinc S. Greg. ad Brunichildem Francorū Reginam inter cætera scribit: *Vbi dona superna gratia venalia judicantur, ad Dei servitium non vitæ quaritur, sed magis contra Deum pecuniæ scenerantur.* Li. 7. Epist. 3.

Syn. Oecum.
Chalcedon.
& Synod. 6.

Act. 8 v. 20
4. Mor. c. 6.
Beda in A-
dam. 19
Luc. Tract
6. in Ioan.

Vide Canto-
nem Aposto-
lica.

De his cōs-
sile Theatrum
Vindicta
Divina.

III. Locus à *gravibus poenis*; quas in Simoniacos Apostoli Summi Pontifices, & plurima Episcoporum Concilia, partim Oecumenica, partim Provincialia decreverunt. Apostolorum Coriphæus B. Petrus primum Simoniaë parentē damnatione æterna dignum pronuntiavit, cum dixit. *Pecunia tua tecum sit in perditionem*, ut interpretatus est post B. Gregorium Vener. Beda. Deinde fulmine Excommunicationis a fidelium cœtu, cui per Baptismum jam insertus erat, eum separavit, cum ait: *Non est tibi pars, neq; fors in sermone isto, vel, in fide ista*, ut legunt S. Ambros. & August. nec dissentit textus Syriacus. Atque hæc est PRIMA POENA, quam in Simoniacos Ecclesiæ, ejusque Præsules fulminarunt. Excommunicationis lætæ sententiæ. SECUNDA, Suspendio ab Ordine per Simoniam suscepto. TERTIA, Restitutio pretii dati, & spiritualis resignatio, cum potest resignari. QUARTA, infamia. QUINTA, inhabilitas ad Beneficium Simoniacè acceptum, SEXTA, privatio omnium Beneficiorum, etiã justè acquisite, & ad omnia inhabilitas.

IV. *ab Exemplis eorum*, qui ob res sacras emptas venditæve divinitus olim in veteris vel novi Testamenti scriptura puniti leguntur, *item eorum* qui ob Episcopatus, aliasve dignitates Ecclesiasticas pretio comparatas, vel distractas puniti leguntur in Historia Ecclesiastica.

¶ In EPILOGO monebis Auditores, ut cum propter avaritiam hoc crimen præcipuè incurrat, firmiter proponant, se nullam in ulla remunerationem questuros, & ut (cum etiã superbia honorumque cupiditas multos stimulet, ad aucupandos pecunia Episcopatus, aliasque Prælaturas Ecclesiasticas) humiles sint, & gloriam humanam contemnunt.